

Xenophanis defensio [in margine]

Initium autem huius discussionis esto quatuor virorum maximorum: Xenophanis, Parmenidis, Zenonis ac Melissi vexatio. Hi enim ante Aristotelicas obiectiones in magno nomine fuerant. 5 Post Aristotelis irrisiones ludibrio Peripateticis omnibus fuere. Theologiam tractantes idem fere alius post alium tradiderant de Deo. Xenophanes quidem unum esse, τὸ πᾶν *universum esse* non finitum, non infinitum, non motum, non quiescens. Idque Theophrastum Aristoteli charissimum discipulum retulisse 10 scriptis, Simplicius eiusdem Aristotelis amicus ac interpres, refert 1. Physico, commentario 2: *Unum autem principium sive unum ens, et universum, neque finitum, neque infinitum, neque motum, neque quiescens, Xenophanem Colophonium Parmenidis praeceptorem statuisse, Theophrastus refert, qui, dum mentionem de hac opinione facit, eius sententiam potius ad alias enarrationes atque historias, quam ad naturalem spectare fatetur. Nam hoc unum et universum omneque* [296] *Deum esse Xenophanes dixit, quem unum esse ostendit iis scilicet rationibus, quas ibi subnectit. Id autem esse verum ipse quoque Aristoteles confitetur 1. Sapientiae cap. 5:*¹⁵ *Sed in univ-* 20 *ersum coelum respiciens unum esse ait ipsum Deum.*

Attamen, non quod hoc dogma Aristoteles non probaret (id enim ipse et amplectitur et magnis molibus adstruit), sed quia simul cum Melisso sibi ἀγροικότερος, *agrestior* visus est, non potuit sibi temperare, quin integro libello eum insectaretur, in 25 quo haec illi attribuit. Si quid est, aeternum est. Si aeternum infinitum, si infinitum unum: si unum simile. Rursus, si aeternum

¹⁵ ἀλλ' εἰς τὸν ὅλον οὐρανὸν ἀποβλέψας τὸ ἐν εἶναί φησι τὸν θεόν. [ARIST. Metaph. 986b.24 – 25]